

V C
37 57a



h. 3.

C
S
M



h. 33, 26.

Vc
3757a

BREVIS
CAUSARUM
CONJECTIO

QUIBUS MOTI
STATUS REGNI BOHE-
MIÆ, ET INCORPORATARUM PRO-
VINCIA RVM, NON ADMISSO REGE
FERDINANDO &c. AD NOVI RE-
GIS ELECTIONEM PRO-
cesserunt.



Anno CHRISTI,

M. DC. XX.

BREVIS
CAUSARUM

CONJECTIO

OLIBERTI

STATVS REGNI BOHE-

MIAE LINGORPORATARUM PRO-

VINCULARVM NON ADMISSO REGE

FRANCISCO MAXIMILIANO

AVGVSTO

1622



Christophorus

M. DC. XX.





BREVIS CAUSARUM
CONTECTIO

*Quibus moti Status Regni Bohemia, & in-
corporatarum Provinciarum, non admissio Regē
Ferdinando &c. Ad novi Regis Electio-
nem processerunt.*

I.



Uod nunquam legitime, ex more & Con-
suetudine prisca, atq; præscripto Privilegi-
orum in Regem Boemiae sit electus, quia
nec ipse eligi, sed suscipi tantum & coronari voluit,
idq; cur fecerit, ex declaratione hujus primæ, ut &
tertiæ causæ, liquidius apparebit.

II.

Quòd susceptio illa & coronatio, Anno millesi-
mo sexcentesimo decimo septimo, vivo adhuc Divo
Matthia Cæsare peracta, artibus sit quæsitæ & dolis,
vocatis in subsidium perfidis quibusdam Patriæ &
Regni hujus proditoribus, donis & pollicitationibus
corruptis, aliis gravibus minis eò adactis. Nihilo ta-
men secius, neque id sine conditionibus factum est,
quas nisi ipse impleret, status ei nullo obsequio ob-
stricti essent.

A 2

Quòd



III.

Quòd dictis conditionibus non steterit, sed juramentum Statibus præstitum, & Reversales Provinciis à se datas multifariam violaverit, quin imò vivo adhuc Cæsare Matthia non tantùm fascibus Regni sese immiscuerit, verùm etiam, cum vivo, tum longè magis mortuo Cæsare, harum Provinciarum, apertum hostem sese declaraverit, idq; eo fine potissimum, ut Christianam Evangelicam Religionem in iisdem Provinciis eradicare, Status Regni & incorporatarum Provinciarum, libera Regis electione, ut & aliis Privilegiis exuere, & sub jugum Hispanicum mittere posset, quo pacto semetipsum, omni eo jure, quod à morte Cæsaris habere potuisset, destituit, & Provincias à memorato obsequio penitus liberavit, quemadmodum omnia illa justo scripto Apologetico, vniverso orbi solidè declarabuntur. Nunc tantùm ad singulas causas pauca quædam ob majorem evidentiam præmittuntur.

AD PRIMAM.

Quod itaq; primam causam attinet, sciendum est, Gentem Bohemam, ab illo statim tempore, ex quo hæc Regio ipsis culta & habitata fuit, semper jus liberè eligendi Principes habuisse, idq; ab ipsis longâ serie temporum ita observatum fuisse, ut non ex Hi-

storiis

istoriis tantum, sed & ex Privilegiis, aliisque; documentis abundè liquet. Quod jus & vetus consuetudo liberæ electionis ipsis etiam postea à Cæsaribus Romanis per Diplomata & Privilegia aureis munita Bullis insigniter est confirmata. Sunt autem tria ejusmodi aurearum Bullarum Cæsaris Friderici Autographa præ manu.

Quarum prior est data Anno Millesimo Ducentesimo: Duodecimo: Secunda; Millesimo Ducentesimo Decimo sexto: Tertia Millesimo Ducentesimo Vigesimo primo, quibus electos à Statibus Reges confirmat, & clarè pronunciat: Status Regni hujus jus & potestatem Regis pro lubitu eligendi habere, quiq; ab ipsis Rex electus fuerit, Regalia à se & futuris Cæsaribus Romanis poscere & suscipere debere. His adstipulantur aliæ etiam aureæ Bullæ Imperatoris Caroli 4. data Anno Millesimo Tercentesimo septuagesimo, quibus præcedentia Privilegia Cæsaris Friderici confirmantur, nec non proluxius declaratur, Bohemos jus liberè eligendi Regem habere. Confirmatur hoc etiam per auream Bullam ejusdem Imperatoris Caroli Quarti, quam universo Romano Imperio dedit, in qua de omnibus septem Electoribus Imperii, quod cujusvis sit officium, & quorum Principatus ad Imperium devolvantur,

Cap. 7. sic statutum est : Si verò aliquem ex hujusmodi Principatibus eorum Imperio sacro vacare contingeret, tunc Imperator, seu Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, de ipso providere debebit, & poterit, tanquam de re ad se & Imperium legitimè devolutâ, salvis tamen semper Privilegiis, Juribus & Consuetudinibus Regni nostri Bohemiae, super electione Regis in casu vacationis, per Regnicolas, qui jus habent eligendi Regem Bohemiae, faciendi juxta continentiam eorundem Privilegiorum, & observatam consuetudinem diuturnam, à Divis Romanorum Imperatoribus, sive Regibus obtentorum, quibus ex hujusmodi Sanctione Imperiali, in nullo præjudicare volumus, imò ipsa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem. Ut dicta Aurea Bulla Data Noribergæ, Anno Millesimo Tercentesimo Quinquagesimo sexto, publicis mandata typis, id latius continet.

Quamvis autem Carolus Quartus confirmatâ aureâ Bullâ Friderici, eidem suæ Confirmationi (bono suo, haud dubiè & hæredum suorum) aliquid amplius annexerit, nimirum, quod ea ita intelligi debeat, ut tum demum, quam de prosapia Regali masculus vel femella, nullus fuerit superstes, Status Boëmiae & pertinentiarum ejusdem, jus liberè Regem eligendi habeant: Illa tamen interpretatio locum non habu-

habuit, nec observata est, nec observari debuit, aut
 potuit, maximè propter clausulam aureæ Bullæ Im-
 periali annexam, quâ Privilegia & Consuetudines an-
 tiquæ Regnicolarum, in æternum adeò roborantur,
 ut ne Imperiali quidem Sanctione mutari possint,
 nedum ut privata declaratione solius Imperatoris,
 aut Regis Bohemiæ cujuscunque hoc fieri possit aut
 debeat. Deinde, etiam si id fieri potuisset, extendi ta-
 men nequivit ultra Prosapiam ejusdem Cæsaris Ca-
 roli è domo Luzemburgica oriundi, puta duos ejus
 Filios, Vencesilauum & Sigismundum, qui ambo ex-
 istentes, Cæsares Romani, & Reges Bohemi, sine
 Hæredibus decesserunt, relicta unica tantum à Sigis-
 mundo Filia Elisabetha, quæ Alberto Archiduci
 Austriæ matrimonio juncta fuit, & Filium ei pepe-
 rit Ladislaum. Posteaquam vero dictus Ladis-
 laus defunctus est, Status Boëmici, vi Privilegi-
 orum suorum, Regem sibi elegerunt, qui neque
 è domo Luzemburgica neque, Austriaca oriun-
 dus fuit, Georgium nimirum Podiebradium, cui
 facto, non tantum Domus Austriaca locum de-
 dit, sed etiam Fridericus Cæsar, ejus nominis
 tertius, caput tum temporis Domus Austriacæ, &
 Imperator Romanus, prædicto Georgio Regi, Pri-
 vilegia Regni Boëmici confirmavit, ut Confirmatio
 illa

illa Anno Millesimo Quadringentesimo Quin-
quagesimo nono illustri est documento. Unde faci-
lè apparet, à memorata clausulâ Confirmationi Ca-
roli Quarti insertâ planè discessum esse, adeoq; Re-
gnum Boëmiæ ad nullam certam Familiam fuisse li-
gatam. Atque id quod ita sit, & Regnum Boëmiæ li-
berâ Electione gaudeat, nec hæreditarium sit, testa-
tur & subsequens Exemplum. Namq; etsi Rex Ge-
orgius filios reliquerit; nullus tamen eorum in Re-
gno Patri, qui Status ideo seriò sollicitaverat, succes-
sit, neq; Rex electus est, sed elegerunt Bohemi post
mortem ipsius in Regem suum, & coronaverunt
Wladislaum ex familia ducum Litvanix, Casimi-
ri Regis Poloniae filium, Anno 1471. qui iterum à
Cæsare Friderico tertio investitus & confirmatus
est, ut ex dictâ Confirmatione Anno 1480. liquet a-
berius.

Quod autem memoratus Rex Wladislaus per li-
teras quasdam, quibus primò confitetur Status
Boëmiæ liberâ sua voluntate, Filium ejus Ludovi-
cum coronasse, & in Regem suscepisse, post de Filia
sua Anna ita disponit, & adiicit, ut si filius suus Ludo-
vicus sine hæredibus decedat, Filia ejus Anna legiti-
ma Hæres Regni Boëmiæ existat. Ad hoc ita respon-
detur: Posteaquam semel à memorata clausulâ,
quam

276.

quam Imperator Carolus 4. suæ Privilegiorum Confirmationi inferuit, planè discessum est, & ordines Boëmiæ libera Electione sunt usi, ut supra adducta Exempla id pluribus comprobant, quod nimirum Domus Austriaca in Regno Bohemiæ hæreditariò non successerit, vnde nec in Regis Vladislai potestate positum fuit, per dispositionem suam sine Comitibus & consensu Statuum, Filiam suam Hæredem Regni, in præjudicium Privilegiorum, constituere, ita ut non Patris, sed Fratris in Regno Hæres esset. Quemadmodum etiam tum nulla ideo Comitibus conscripta fuerunt, multò minus eam in rem à Statibus consensum. Quin nunquam quoque ipsa Anna, ut Hæres Regni à Statibus ad gubernacula Regni admilla fuit, sed posteaquam Ludovicus in prælio cecidit, eoq; tempore Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Ferdinandus Archidux Austriæ, prædicti Regis Ludovici Sororem, Annam nomine, matrimonio sibi jungere voluisset, eamq; sibi desponsam haberet, tum Status Regni Bohemiæ vicissum ex sua mere libera voluntate, vi Privilegiorum suorum, prædictum Ferdinandum Archiducem Austriæ, Anno 1526. Regem suum elegerunt, prout etiam primo ipse Rex, & post demum Coniunx ejus, ex more coronati fuerunt. Et quod ita res habeat, quod

B

quod etiam tum temporis Status Bohemiæ libera E-
lectione usi sint, testantur Ferdinandi Regis Reverfa-
les Viennæ: 13. Decembris, Anno 1526. datæ, nec mi-
nus Juramentum, ipsis Statibus tum præstitum. Sed
mirum quiddam postea Reverfalib⁹ illis Cæsaris Fer-
dinãdi, iterum sine scitu & consensu omnium Statu-
um (quod nunc primum in lucem erupit) accidit.
Nam posteaquam eadem Reverfales ex Autogra-
pho, inter cætera Privilegia, in certum ei rei, ad Tabu-
las Regni deputatũ librum, in Charta Pergamena de-
scriptæ fuerũt, Autographum autem ipsum ad cæte-
ra Privilegia appositum, & Apographum, per noven-
decim continuos annos, Tabulis Regni, ut dictum
est, insertum fuit, & est etiamnum: innotuit tamen
nunc, quod elapsis illis novendecim annis, hoc est,
demum Anno 1545. tenebrio aliquis, quis fuerit sciri
non potest, ad tabulas Regni venerit, qui juxta di-
ctas Reverfales in margine hæc verba adscripsit.

*Hæc literæ sunt Regiæ Majestati à Statibus Regni Bohe-
miæ, in Dieta publica, in Arce Pragensi, Feria 2. post Ascen-
sionis Mariæ, Anno 1545. redditæ, & loco earum, aliæ Stati-
bus ejusdem Regni, lingua Boëmica datæ. Quæ etiam huic
libro fol. sunt inscriptæ, quarum est datum: In Arce Pragensi
Feria 4. post Ægidij Anno 1545.*

Quod tamen ut factum sit, & Status, sæpe memo-
ratas

277

ratas Reversales, in Diæta publica Regi reddiderint, & alias vicissim literas acceptarint, planè non liquet. Nam in illa Diæta, quæ eo anno in Arce Pragensi est habita, & in hunc usq; diem in tabulis Regni reperitur, ut & in propositione Regia, ne verbo quidem ulla ejus fit mentio.

Litteræ porrò illæ, quæ loco priorû Reversaliû dari debuerûnt, non sunt ei Libro, ut memoratum additamentû innuit, inscriptæ, sed post in alium suppositæ: Undè manifestò apparet, Scribã illum, quisquis tãdem is fuerit, in gratiam alicujus, in margine id adscripsisse, idq; eò spectasse, ut Status in posterû Libera Electione defraudarentur. Diætæ etiam suppositivæ literæ cum prioribus Reversalib⁹ planè non cõveniunt. Nam cum iis cautû esse Statibus deberet, ne dicta Electio Regis Ferdinandi, ulli præjudicio Privilegiis ipsorum esset, longè aliud eadem continet, & ex diametro cum omnibus veteribus, & post consecutis Libertatibus & Privilegiis pugnant, quando in iis vicissim repetitur & iteratur id, quod Cæsar Carolus 4. memoratæ suæ Confirmationi, & Wladislaus Rex dictæ dispositioni de Filia inseruit, quû tamen, ut supra scribitur, ab eo jam dudum plusquam vno modo plane discessum, & Status Liberâ Electione usi fuerint. Id verò an non sit Privilegia potius corrumpere, quã cõfirmare, universo Orbi judicandû relinquitur.

Cæterum quod Status de his & aliis eiusmodi re-
bus nullam notitiam habuerint ad hæc usq; tempo-
ra, in causa est, quod ea coram ipsis semper à supre-
mis Regni Præfectis, quos Officiarios vocant, Ro-
manæ Religioni sub Unâ addictis, celata fuerint. Ii-
dem enim Status, quamvis in publicis Comitibus, &
aliis temporibus, diversis vicibus id peterent & solli-
citarent, nunquam tamen obtinere potuerunt, ut i-
ipsis Privilegia Regni prælegerentur, longe minus
Apographa eorum communicarentur.

Quicquid tandem sit, manifestum est tamen, Di-
vum Ferdinandū Cæsarem ipsum probè intellexisse,
Regnum hoc & alias incorporatas Provincias non
esse hæreditarias, & quod futuris temporibus sup-
positiæ illæ literæ in præiudicium priscorum Privile-
giorum & libertatum, locum habere non possint.
Quapropter idem Cæsar Ferdinandus anno 1549.
conscripsit Comitibus, & à Statibus Regni Bohemiæ
clementer petiit, ut Serenissimus Archidux Maximi-
lianus, Cæsareæ Maiestatis Primogenit⁹, à morte eius-
dem Rex Boëmiæ esset. Quam in rem Status, ad tam
clementem Maiestatis Cæsareæ petitionem consen-
serunt, ita, ut vivo adhuc Patre regio titulo uti posset,
ea tamen sub conditione, ut quam diu Pater super-
stes esset, ipse fascibus Regni sese non immisceret iux-
ta

ta quod etiam demum Anno 1562. Coronatio Regis Maximiliani, & Reginae Mariae Coniugis eius, post certas ab iplo datas Reversales, est consequuta. Ad eundem modum, praedictus Caesar Maximilianus, Filium suum Primogenitum Archiducem Rodolphum, Statibus Regni hujus proposuit, & clementissimè ab ipsis petiit, ut in futurum Regem assumeretur & coronaretur. Ad tam clementem Caesareae Maiestatis petitionem, Status etiam assensi sunt, & certis conditionibus, datis ab ipso Reversalibus, eum elegerunt & susceperunt.

Nunc itaq; , si Regnum hoc cum incorporatis Provinciis, Domus Austriacae esset haereditarium, Status ideo rogari & sollicitari planè non fuisset opus, cum absq; eo quisq; ex memoratis Regiis Filiis natu maximus, à morte Patris, in Regno succedere potuisset, ut id in Archiducatu Austriae, & aliis haereditariis Provinciis, manifestum est. Potuerunt quoq; iis temporibus illi suscipi & declarari Reges Boemiae, siquidem maximi natu Filii praecedentium Regum Boemiae fuerunt, & Status in eos sponte consenserunt. Unde evinci non potest, quasi Status iuri suo & liberae electioni renunciaverint. Nam quod id non sit, manifestè apparet ex eo, quod quum Caesar Rudolphus, sacratissimae memoriae, nec Coniugem, nec ul-



los legitimos Hæredes haberet, Serenissimus autem Matthias Archidux Austriae, tanquam Cæsareæ Majestatis maximus natus Frater, eò contenderet, ut vivo adhuc Cæsare intercessione ipsius, Rex Boëmiæ designari, eligi & coronari posset, eo casu, cum nulli sui Hæredes existerent, vocationis illæ, Susceptionis, Declarationis & Coronationis amplius usurpatæ non sint, sed ab omnibus vi veterum Privilegiorum Cæsaris Friderici, & aliorum, Libera Electio, quam Status habent, agnita. Nam & ipse Rodolphus Cæsar, Statibus tunc istam eorum libertatem, de novo sufficienter confirmavit, dum clementissimè petiit, & pro Serenissimo Archiduce Matthia Fratre suo intercessit, ut Status, secundum suas Libertates & Privilegia, liberâ sua voluntate, eundem futurum Regem Boëmiæ designarent & eligerent.

Et Serenissimus Archidux Matthias, iisdem verbis utitur, & legitimè eligi exposcit, ita ut uterq; & Cæsar, qui intercessit, & Archidux, qui eligi cupivit, agnoverint hoc & confirmaverint, quod eo casu maximè, cum nulli sui Hæredes existunt, Status liberâ Electione habeant. Quæ omnia præter vetera Privilegia & prisca consuetudines, non tantum Pactis, Conventis, Anno 1608. inter Cæsarem & Archiducem, ut & Provincias, ad Pragam initis, sed etiam propositione
Cæsa-

Cæsareâ Comitiiis publicis, Et cum à Cæsare tum à Rege, Provinciis datis Reversalibus plus satis confirmata sunt, & juxtâ Evangelicis Ordinibus Regni Boëmiæ, post multas & varias exantlatas persecu- tiones, à Cæsare Rudolpho, Rege ipsorum, in puncto Religionis, ejusve libero Exercitio, quemadmodum per dicta Comitia Anni 1608. ita etiam post, ad ulte- riores humiles supplicationes & intercessiones, Ele- ctorum Sacri Romani Imperii, singulari Cæsareo & Regio Diplomate, Anno 1609. abunde fuit cautum: quin & inter Pontificios & Evangelicos, & hos vicis- sim solos, conservandi & propagandi mutui amoris & concordia gratia, certa pacta inita, eademq; à Cæ- sareâ Regiâq; Majestate confirmata, ut si quis, quis- quis tandem is futurus esset, prædicto Diplomati, & pactis, vel in minimo contraire non vereretur, is tan- quam turbator pacis plecteretur. Unde bona spes affulgebat, futurum, ut sub Cæsareâ ejus Majestatis & Successorum Regum Boëmiæ Imperio, quietè & pacatè quisq; vivere, & Deo suo, Magistratuiq; debita cultûs officia præstare posset. Sed statim tum temporis, malignos quosdam & inquietos homi- nes Cacodæmon tam efficaciter adegit, ut ipsis, cum libera Electio Regis, tum liberum Exerci- tium Religionis, vehementissimè fuerit exosum, quo

em
Ma-
vo
de-
fui
De-
on
æ-
ta-
ar,
ff-
&
n-
ri-
e-
ois
æ-
a-
a-
E-
ia
n-
&
re



quocirca etiam juxta Cæsaream Maiestatem, & alios
pacis amantioreſ Catholicos, dictum Diploma & pa-
cta inita, atq; alia iis annexa, ſubſcribere noluerunt;
ſed unicè partim per dolos & fraudes, partim ſub præ-
textu & per abuſum Dignitatũ ſuarũ, perfrictâ fron-
te omnia illa infringere, idq; etiam Regi perſuadere
conati ſunt: parvipendentes quod eo ipſo tempore,
in publicis Comitiiſ, contra ipſos, Ordines Evange-
lici fuerũt proteſtati, ſi ulterius turbentur, nemini id
alii quam ipſiſ imputatum, atq; in eos, tanquam tur-
batores pacis publicæ, animadverſum iri: quibuſ ta-
men illi omnibuſ ſuſq; deq; habitis, ut vivo adhuc
Cæſare Matthia de tali in futurum Domino ſibi pro-
ſpicerent, qui ipſorum promoveret propoſitum, eò
rem perduxerunt, ut anno præterito 1617. prædictuſ
Ferdinanduſ Archidux Auſtriæ, (de quo univerto
Orbi Chriſtiano conſtat, quam ſtatim atq; Provin-
cias ſuas Auſtriacas poſſidere cepit, Evangelicoſ
Chriſtianoſ vehementiſſimè perſequutuſ ſit, eoſq;
ſine diſcrimine è Provinciis ſiſ exterminaverit, imò
& in mortua corpora, crudeliuſ, quam hominem de-
cuit, ſævierit, eademq; effodi fecerit) Pragam voca-
tuſ, à Cæſare Matthia in Filium adoptatuſ, & poſt
ſtatibuſ, partim gravibuſ miniſ, partim Pollicitatio-
nibuſ & doniſ, quæ inter prædictoſ perfidoſ patriæ
prodi-

proditores distributa & iisdem promissa fuerunt, obtrusus, ac per dolos & fraudes molitionesque eorundem perfidorum Patriæ proditorum & Religionis Evangelicæ hostium in futurum Regem susceptus, proclamatus, & coronatus fuerit. Nam vocula illa **ELECTIONIS**, si quanto in Votis incidere, etiam auribus ipsorum gravis fuit.

Quomodo autem cum illâ susceptione & Coronatione peractum sit, de eo ad secundam causam monebitur. Hactenus de prima dixisse sufficiat: Quod nimirum nunquam ex præscripto veterum Consuetudinum & Privilegiorum in Regem Boëmiae legitimè fuerit electus.

AD SECUNDAM.

Quod Secundam causam tangit, nempe, quomodo susceptio & Coronatio illa processerit, est sane aliqua ex parte jam supra eius rei facta mentio, quam memorati Patriæ proditores, quo perversa ipsorum consilia optatos sortirentur effectus, sollicitè & strenuè rem egerint. Quo etiam hoc pertinet, quod cum dicta Comitatus conscriberetur, per Patentes (quas vocant) publicatas, Statibus, fuerit prohibitum, ut post suum ad Comitatus conventum planè nihil aliud, quam unicum illud, de futuro, Successore

fore tractarent. Quod non tantum veteri laudabili
consuetudini ad verlabatur, sed etiam legi publicæ
ante hac Anno 1610 in Comitibus generalibus sancitæ,
qua clarè cautum est, ut quibusvis in posterum Co-
mitibus Statibus liberum sit, statim à deliberatione
Propositionis Regiæ ad publica gravamina & articu-
los progredi, qui, antequã solvantur Comitibus, in deli-
berationem vocari, concludi, & penitus relevari de-
beant. Ita ut complures ex Statibus ad tam insolentia
Comitibus, comparère gravati sint, qui autem com-
paruerunt, votaq; sua eo direxerunt, quod hoc pu-
gnet cum Libertatibus & Privilegiis Regni, Item,
quod incorporatæ Provinciæ in convocatione sint
præteritæ (quibus proximè præcedentibus Comitibus
promissum fuit, quoniam jus suffragii in Electione
Regis prætenderet ante omnia eam rem transactum
& definitum iri) iis dicti proditores Patriæ, cum ipsi,
rum per alia sua organa graviter sunt minati, dicti-
tantes, quod cum qui diversum ab ipsis votum di-
xerit, duo capita habere necesse sit, & ita cum illo
processum iri, ut ante annos cum quibusdam aliis.
Quum itaq; adversus tantas ipsorum fraudes nihil
obtineri potuisset, & ex Pontificiis omnes, quot-
quot per vicos & plateas, quotquot ostiatim per
Cauponas colligi poterant, & complures alii, qui pa-
rurs

rum aut nihil quod perderent, habuerant, vocarentur, atq; ita Evangelici pluralitate votorum superari essent, necesse fuit talem susceptionem & Coronationem tum permitti, certis tamen cum conditionibus, Nam dedit Archidux Ferdinandus Statibus à se Reversales, quibus inter cætera etiam hæc continentur.

I.

Accipere ipsum hoc à Statibus gratissimo animo, & Regia Clementia (ut habeant quod sibi gaudeant, & ipsum in precio habeant) compensaturum esse.

II.

Se vivo Cæsare Matthia, fascibus Regni se immiscere, eosdemve sine Majestatis Cæsareæ, ut & Supremorum Regno Præfectorum & Consiliariorum, nec non Judiciorum Curialis & Cameralis Adfessorum, atque ex superioribus Statibus ex Communitate ex quo vis districtu duarum, ex Pragensibus autem, & aliis Civitatibus, sex, iisdem Comitibus ad id deputatarum Personarum consensu & Consilio, sibi vindicare nolle.

III.

Quod si porro vivo Cæsare vendicer, ut eo casu Status ipsi nulla subjectione aut obsequio sint obstricti.

103
Juravit præterea, dum coronaretur, Statibus: facturum se omnia, quæ usui futura sint, Regno & Honori. Verum quomodo idem Rex Ferdinandus suis illis Reversalibus & Juramento steterit, uniuerso Orbi abunde cognitum est, & ad subsequenter causam tertiam breuiter commemorabitur.

AD TERTIAM.

Quod tertiam eamq; postremam causam concernit, puta quod Rex Ferdinandus etiam hac illegitimâ susceptione & Coronatione, & in summa omnino quod sperare potuit, ipse se fraudaverit, constat & manifestum est, perfidos illos proditores Patriæ, cum virulenta Jesuitarum Secta, post eam susceptionem ipsius & Coronationem tam insolentes effectos fuisse, ut tum primum non tantum in Regno Boëmiciæ, sed & in Ducatibus superioris & inferioris Silesiæ, diversis in locis, Status Evangelicos & liberum Religionis Exercitium, expressam prohibitionem Diplomatis floccipendentes, plurimum persequi aggressi sint, Tempora Evangelicorum clauerint, & solo æquarint, homines innocuos gravibus & diuturnis vinculis vexarint, quin postremo, Statibus Boëmicis & defensoribus cum Clementissimo Majestatis Cæsareæ consensu constitutis, omnem adi-
tum

tum ad Cæsarem præcluserint, atq; nullam planè au-
rem ipsis vacuam reliquerint, conventus ipsorum
contra clarum textum prohibuerint, & nunquam in-
jus vocatos nec auditos condemnarint.

Jesuitæ etiam ipsi de ea illius susceptione & Coro-
natione ad Serenissimum Archiducem Austriae Le-
opoldum non sine maximo applausu & tripudio
publico scripto confessi sunt, Archiducem Ferdi-
nandum, sub paternæ ditionis primordia, jure ju-
rando se obstrinxisse, prius vitam positurum, quam
in iis quæ ad Religionem pertinent, quicquam Se-
ctariis (ita ipsi Orthodoxos Christianos vocitant)
concedat, ut gravamina & Apologiæ harum Pro-
vinciarum, typis excusæ plenius testantur. Quibus
iniquis persecutionibus per sæpè memoratos Pa-
triæ proditores, qui dudum causas belli & cædium
præhensarunt, eò res deducta est, ut Cæsari de mor-
tuo persuaserint, ut nulla urgente necessitate in in-
elytum hoc Regnum atq; ejus Incolas, magnum ex-
ercitum, & contra Sanctiones Regni, peregrinum
militem, immiserit, & magnam ejus partem prædatis
onibus & incendiis vastari, & plurimum innoxii san-
guinis profundi passus sit. Quæ omnia non tantum
placuisse Regi Ferdinando, sed etiam operam ipsam
& Consilium adversus Regnum hoc dedisse, fasces

510
Regni nimis maturè usurpasse, & Regno huic plurimamala accelerasse, plus quam notorium est. Publicè enim constat, vivo Cæsare Matthia, ipsum gubernacula Regni affectasse, dum Cardinalem Gleselium, secretioris Consilii Cæsarei, ubi penitissima quæq; omnium Regnorum & Provinciarum Cæsaris ventilabantur, Præsidem, inscio, invito, & indignante Cæsare submovit, quod sciret, Cæsarem etiam in negotiis Bohemicis sine Gleselii Consilio nihil agere solere, & illum fortè ut callidum, ad tantum bellum excitandum minus inclinare. Ipse vero non tantum hujus belli contra Regnum hoc gerendi Autor & Consultor fuit, sed etiam proprium suum Exercitum quem in Gorizia habuit, inde advocavit, in Regnum hoc immisit, eidem ut Regnicolas ferro, flamma persequerentur iussa dedit. In Moravia Comitibus contra Regnum Bœmiæ agitatiss, ipse præfuit. Conjunctionem Moravicarum copiarum cum Cæsareanis, & transitum per Moraviam urisit, & tum quidem partim lenociniis verborum, partim minis, ab Ordinibus Moravicis extorsit. A morte autem Cæsaris Matthiæ ilico univèrsum illum exercitum, apertos Regni Bohemiæ hostes, non tantum sibi sacramèto obstringi fecit, sed etiã majorum copiarum conscriptionem promovit, multa millia Hispani-

CO-

corum aliorumq; exterorum militum in Bohemiam
 induxit, & longe pejus quam vivo Cæsare Matthia,
 non tantum in Regnum hoc, sed & in Marchionatū
 Moraviæ, ferro & flamma sævire fecit, sine ulla com-
 miseratione teneræ vel decrepitæ ætatis, virilis aut fæ-
 minæi sexus, quin & innocentissimorum infantium,
 & in utero matrum adhuc delitescentium embryo-
 num. Quin & mortua corpora effossa, discoriata, ma-
 nibus & pedibus complicatis, nuda, horrendum in-
 modum altaribus imposita, & portis templorum ap-
 plicata fuerunt. Præterea & si constet, nunquam ad-
 huc ipsum ad possessionem Regni esse admissum, ni-
 hilominus tamen perfidos illos Patriæ proditores, à
 quibus omnis isthæc calamitas promanavit, vicissim
 per literas vicarios suos designavit, ex quibus non-
 nullos, ut & alios perfidos huic Regno, & urgentibus
 de causis proscriptos adhuc secum habet, iisdemq; in
 consultationibus suis & Legationibus utitur, adeoq;
 aperte testatum facit, quod præclaris ipsorum faci-
 noribus, quæ ab ipsis in everisionem libertatum &
 Privilegiorum Regni patrata sunt, vehementer dele-
 ctetur, & pluris eos, quam univèrsam Regnum &
 Provincias æstimer. Quid itaq; à tali Rege eadem
 Provinciæ sperare possint, facile quisq; assequitur.

Maximè cum etiam hoc in considerationem vo-
 cabi-

205
cabitur, qualia Pacta Rex Ferdinandus cum Rege
Hispaniarum, non tantum quâ Regnum Bohemiæ,
& incorporatas ei Provincias, sed & quâ liberû Hun-
gariæ Regnum inierit, idque tum temporis, cum ad-
huc ipse in neutro Regno susceptus coronatusq; es-
set. Quæ Pacta tum quidem coram Provinciis fue-
runt occultata, nunc vero singulari Virgulâ Divinâ
manifestata sunt, quibus utriq; Regno libera Ele-
ctio, & Privilegia eam concernentia planè adimun-
tur, Regi q; Hispaniarum & posteris ejus hæreditariò
eadem adscribuntur, ita ut jus illud hæreditarium,
Rex Hispaniarum nunc Regi Ferdinando cedat, hac
tamen cum conditione, ut quando eunq; omnes Fer-
dinandi per lineam rectam masculinam, non interu-
pta masculorum serie descendentes masculos dece-
dere contingeret; tunc in dicto utroq; Regno, & eis
annexis Provinciis vicissim hæreditariò, Rex Hispa-
niarum cum hæredibus & posteris suis succedant: ut
& idem Archidux Ferdinandus, post Pacta illa inita,
Veterem stylum, quo priores Cæsares & Reges Bo-
hemiæ usi sunt, immutavit, & ubi Divi: Ferdinan-
dus, Maximilianus, & Rodolphus Cæsares ita scribe-
re sunt soliti: **NOSTRA REGNA, ET PROVINCIE
HÆREDITARIÆ.** Ille nunc sic scribit: **NOSTRA
HÆREDITARIA REGNA ET PROVINCIE.**

Unde:

Unde vicissim satis clarum est, quid illi propo-
 situm fuerit, & cur in Bohemia non eligi, sed suscipi
 tantum voluerit, nimirum ut liberam Electionem
 aboleret, & in hisce Regionibus Hispaniarum Regis
 quasi Vicarius esset, donec tandem eas plenè servitu-
 ti & jugo Hispanico submitteret. De quibus Pactis, si
 tum temporis Statibus vel minimum innotuisset,
 scivissent haud dubiè quid opponere iis debuissent.
 Nam cuivis liquet, quæ Regna Hæreditaria non
 sunt, sed libera fruuntur Electione, (ut de Regno Bo-
 hemiæ jam sufficienter id est demonstratum) quod
 iniis Rex, sine scitu & consensu Statuum, cum nullo
 peregrino Principe pacisci possit, & ejusmodi Pacta,
 ipso facto nulla, invalida & irrita sint, per quæ etiam
 ipsum univèrsum Romanum Imperium plurimum
 periclitaretur. Nam eo pacto poneret Hispanus pe-
 dem in Imperio, atq; adeò cum Rex Bohemiæ existe-
 ret, necessariò vi Aureæ Bullæ Imperatoris Caroli
 Quarti Elector Imperii simul esset. Porro ex illis, quæ
 à Statibus Bohemiæ ad proxima Comitia Francofur-
 tensia ad Collegium Electorale perscripta sunt, cur
 Rex Ferdinandus ad Electionem Romanorum Re-
 gis admitti non debuerit, uberius patet.

Quum itaq; ex his omnibus quæ supra memo-
 rantur, hæ Provincie ad oculum perspectum habe-
 rent

D



rent, quanto cum periculo sit conjunctum, quin pe-
nitus impossibile, cum tali Principe, qui sui ipsius
non sit potens, & pacem in ore & calamo, bellum au-
tem & cædes in corde & manu gerat, in ullam ulterio-
rem descendere tractationem, cum ob causas supra
allegatas, & gravissima inde sequutura mala, ad fasces
Regni (quibus ipse sese multifariam exuit) admittere.
Nam PRIMO, dicta Pacta Hispanica eo confirma-
rentur, & Status Liberâ Electione fraudarentur. SE-
CUNDO, Nullam sibi Status, cum in Politicis, tum in
Ecclesiasticis sub tali Rege polliceri possent securita-
tem. TERTIO, Cogarentur dubio omni procul,
non tantum suo, sed etiam hostili Exercitui, qui ha-
ctenus in ipsos & cognatos ipsorum, adeo tyrannicè
sæviit, solvere stipendia cum eo se conjungere, & vel
adversus amicos suos, & domesticos fidei expeditio-
nem instituere. QUARTO, Præberetur ansa hosti-
bus blasphemandi nomen Domini, & exclamandi:
ubi est Deus ipsorum? QUINTO, Cæteri Christiani
Evangelici Principes, Statibus omnia auxilia subdu-
cerent, quam primum olfacerent, cum Archiduce
Ferdinando, & aliis hostibus, ipsos in ullam tractati-
onem descendere.

Quapropter, quoniam ex prædictis rationibus
satis apparet, Regem Ferdinandum, nunquam legi-
timè

timè in Regem Bohemiæ fuisse electum, & suscepti-
 one illa ac Coronatione, quæ supra scripto modo, &
 sub conditione est peracta, per violatas suas Rever-
 sales, & Juramentum, ut & per immanem adversus
 Regnum hoc exercitam tyrannidem, & dicta Pacta
 cum domo Hispanica, sine scitu & consensu Statu-
 um clam inita, ipse sese privaverit, adeoq; status illi,
 nec quicquam sint obstructi: per Divina & Naturalia
 jura, in Nomine & auspicio Omnipotentis Dei, ali-
 um sibi eligere Regem ipsis licuit. Nolumus hîc at-
 tingere acta nuper inter Rodolphum Cæsarem, &
 Archiducem Matthiam, fratres, ex quibus liquet,
 quantum Ordinibus Bohemiæ, & incorporatis Pro-
 vinciis, ad defendendam libertatem communem li-
 ceat. Sunt enim illa in recèti memoria. Exstant etiam
 scripta publica, in quibus fundamenta deducuntur,
 quibus casibus etiã in Regnis & Provinciis hæredita-
 riis tyrannicum jugum Statibus excutere permissum
 est, & invenerunt Reges Sueciæ, & Belgii Ordines ferè
 omnium Christianorum Regum & Rerum publica-
 rum approbationem, favorem & auxilia. Plura, ut
 prædictum est, scripto Apologetico alio uni-
 verso Orbi manifesta fient, ubi ne-
 cessitas postulabit.

FINIS.

270

585

timē in Regem Bohemiam fuisse electum, & susceptum
 onem illa ac Coronatione, quae supra scripto modo, &
 sub conditione scripta, per violatam, & per
 Regem hoc exercitum tyrannidem, & dicta Regia
 cum domo Hispanica, in dicitur & contenta statu
 uti clariora, ipse se per vixit, & dicitur illi
 nec quid iam sit obsequium Divina & Naturalis
 iura, in Nomine & auspicio Omnipotentis Dei, ali
 um sollicitere Regem ipsa iura. Nolumus hanc
 tingere acta nuptiarum Rodolphum Carolum, &
 Archiducem Austriam, fratres, ex quibus hunc
 quantum Ordinum Bohemiam, & incorporatis Pro
 vincias, ad detinendam libertatem communitatis
 esse. Sicut enim illa in recti memoriae. Existimamus
 scripta publica, in quibus fundamenta deducuntur
 quibus casibus eius in Regnis & Provinciis hactenus
 his tyrannicis iugum servitus excutere permittitur
 est, & invenitur Reges Sueciae, & Belgii Ordines fere
 omnium Christianorum Regum & Reipublicarum
 tum approbationem, favorem & auxilia. Praesens, ut
 praedictum est, scripto Apologice alio uni
 verso Orbi manifesta fore cupimus
 certitas possit habere.

F. M. 1. 2.

m



ULB Halle 3
004 778 561



V D 17





h. 33, 26.

QUI
STAT
MIÆ, ET
VINCIA
FER

C

TI
DHE.
PRO.
EGE

Vc
3757a

